



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Regale Sacerdotivm

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, 1615

Cap. 2. Epitheta & encomia Sacerdotum è sacris litteris, tum è SS.  
Patribus deprompta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54698](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54698)

## CAPVT II.

*Epitheta & Encomia Sacerdotum tum è Sacris Literis, tum è sanctis Patribus deprompta.*

*Philip. 2.*

**I**nsigniores nemini mortalium vnquam ab hominum memoria titulos datos, aut nomina cuiquam præclariora imposita legimus, quàm Sacerdotibus in sacra scriptura data reperiuntur: adeo vt nõ immeritò de illis dici queat quod de summo Sacerdote Iesu Christo scriptum est, *Et dedit illi nomen quod est super omne nomen.* Et sanè sacrum Sacerdotum nomen verè super omne est nomen, vtpote cui nullum in vniuerso terrarum orbe simile reperiatur.

*Sacerdotũ nomen est magnum.*

Deus cū Dauidi per prophetã Natan, sua in illũ collata beneficia, ac quã vicissim præstare vicissitudinẽ ipse tenebatur, in mentẽ reuocaret, inter cetera & præ ceteris, primos & superbos titulos ac præclarũ Regis nomen, quod illi hac in terra contulerat, illi exprobrauit dicens, *Feciq; tibi nomen grande, iuxta nomen magnorum qui sunt in terra.* Idem ipsum vobis occino Sacerdotes, agnoscite inquam, quanta vestra sit erga Deum obligatio, qui tam magnificum vobis nomẽ imposuit, nomen inquam, quod omnia Regum ac Principum terræ nomina longè antecellit.

*2. Reg. 7.*

*Magnifica Sacerdotũ nomina.*

In fædere quod cum Abrahamo Patriarcha priusquam patria egrederetur, iniit Deus, inter cæteros articulos, quibus illum ad iter suscipiendum induxit, nominis illi splendorem, & magnificam famæ dignitatem est pollicitus, *faciamq; te in gentem magnam, & benedicam tibi & magnificabo nomen tuum.* Quod veteri illi Patriarchæ à Deo promissum fuit, in Sacerdotibus reipsa

*Gen. 12.*



DE SACERDOT. DIGNIT. CAP. II. 7

re ipsa completum est, nomen enim illorum magnificatum est, eorumque qualitates & tituli super omnia nomina & titulos mundi eminent.

In Exodo namque Sacerdotes Dij appellantur, *Dij non detrahes*; apud Malachiam magni Angeli, *Quia Angelus Domini exercituum est*; apud Ieremiam Reges, *Ecce constitui te hodie super gentes & super regna*. Principes eos nuncupat Psalmita, *Constitues eos Principes super omnem terram*. Michas duces eos nominare non dubitauit, *Duces domus Israel*. Ecquæ dignitas Ducali, Principali, Regali, angelicâ, diuinâ denique amplior aut maior reperiri queat?

Alius quidam Propheta vno in loco vigiles eos & murorum custodes nuncupauit, *Super muros tuos Ierusalem constitui custodes*. Alio vero canes latratu horribili allatrâtes, *Canes muti, non valentes latrare*: alio item tubas bellicas, *Quasi tuba exalta vocem tuam*. Alius autem pastores populi vigilantissimos; alius vero medicos, vnde Ieremias: *Aut medicus non est tibi*? Ioel ministros Dei vocat, *Luxerunt Sacerdotes ministri Dei*. Dauid vero amicos & charissimos Dei, *Nimis honorati sunt amici tui Deus*. Prò quanta dignitas vestra, Sacerdotes, quam magni & sublimes estis, cum & murorum custodes, excubitores urbium, caularum canes, gregum pastores, Dei ministri, diuinæ denique maiestatis amici Prophetarum oraculis appellamini.

Euangelij præcones eos nominat nouum testamentum, vt Marcus, *Predicite Euangelium omni creature*, Ouium pastores, vt Matthæus, *Percutiam pastorem, & dispergentur oves*. Vineæ cultores & Sacramentorum administratores, idem Matthæus, *Et locauit eam agricolis: & falem terre*,  
 A 4                      Match. 5.

Exod. 22.

Mal. 2.

Ierem. 1.

Psal. 44.

Mich. 3.

Tituli Sacerdotum varij à Prophetis collati.

Isai. 62.

Isai. 56.

Isai. 52.

Ierem. 8.

Ioel. 1.

Psal. 138.

Sacerdotes soles mendi.

Mar. 16.

Matth. 26.

Matth. 21.



Matth. 5. Vos estis sal terræ. Miraculorum patra-  
tores, dæmonum eiectores, cæcorum ductores,  
Marc. 16. vt Marcus cap. 16. In nomine meo dæmonia eijci-  
ent. Denique lucem mundi, Matth. 5. Vos estis  
Matth. 5. lux mundi. Hæc nomina obstupescite Sacerdo-  
tes; diuini enim verbi præcones esse, Christia-  
norum tutores, Ecclesiæ vinitores, mysteriorum  
dispensatores, mirabilium organa, dæmonum  
flagellum, soles mundi, omnem prorsus digni-  
tatem & miraculum superat.

Apostolus etiam Paulus apertè profitetur, il-  
los esse ciues cælestes & domesticos Dei, vt Eph.  
Ephes. 2. 2. Sed estis ciues sanctorum & domestici Dei: alibi  
eos dicit ministros Christi eiusq; mysteriorum  
dispensatores, vt 1. Cor. 4. Sic nos existimet homo  
1. Cor. 4. vt ministros Christi & dispensatores mysteriorum  
Sacerdotes dæmonum Dei. & Angelorum etiã, id est, dæmonū, iudices,  
iudices. vt 2. Cor. 6. Nescitis quia Angelos iudicabimus?  
2. Cor. 6. Quid hoc ò Sacerdos? tunc ciuis cælestis, diui-  
norum tu mysteriorum agens, tu dæmonum iu-  
dex? an non hi tituli honoris & dignitatis  
pleni?

Addit Apostolus Petrus, Sacerdotes omnes  
Reges esse, in cuius rei signum coronam in ver-  
tice deorsum gestant, & sanctos quosdam in  
1. Pet. 2. Sacerdotes omnes re-  
ges sunt. terra viuentes, Regale Sacerdotium gens sancta.  
Ioannes addit socios & conseruos esse Angelo-  
rum, quique ab hominibus adorari consueue-  
rant, Sacerdotum se genibus prouoluunt, Caue  
apoc. 13. ne feceris conseruus tuus sum: sanctum Regem, &  
Angelorum socium esse, an non Sacerdotibus  
honorificum est & laudabile?

Quin & apud sanctos Patres Sacerdotes ciues  
cælestes, Angelorum superiores, Apostolorum  
Sacerdotes Angelorū superiores sunt. successores, athletæ validi, afflictionum omniū  
partici-



participes, homines Angelici, auctores bene-  
 viuendi, animarum custodes appellantur; his e-  
 os nominibus compellant S. Clemens, S. Grego-  
 rius Nazianzenus, & S. Augustinus *serm. 37. ad*  
*fratres in eremo.*

Hos ipsos Concilium Oecumenicum Triden-  
 tinum, Christi vicarios, ministros, Christianæ  
 fidei columnas, ciuitates in monte, claudo-  
 rum baculos, consiliarios Episcoporum, templi  
 bases, ignorantium & cæcorum duces nuncu-  
 pat. O beatos Sacerdotes, & verè felices, vt qui  
 filij Dei Vicarij, religionis fulcra, claudorum  
 sustentacula, Præsulum oracula, & cæcorum  
 ductores & sint & nominentur!

Encomia  
 Sacerdotū.

Theodoretus verò sacerdotes Dei coadiuto-  
 res, eius volūtatis interpretes, vocis eius orga-  
 na, illius potentiæ instrumenta, eius regni mi-  
 nistros, iudiciorum eius nuntios, regiæ domus  
 dispensatores, Ecclesiæ petras, pietatis docto-  
 res, rudimenta virtutum, populorum guberna-  
 tores appellare non dubitauit. Nihil profectò  
 altius, nihil excellentius, nihil denique mira-  
 bilius dici aut concipi potest.

Sacerdotes  
 Dei sunt  
 Coadiuto-  
 res.

Anselmus, Hieronymus, & ex iis Catechif-  
 mus Romanus, Sacerdotes Ecclesiæ Apostolos,  
 patris familiæ vinitores, speculatores Ierusa-  
 lem, apes per agros volitantes, clypeos pen-  
 dentes à turri Dauid, vineæ sepimentum, ocu-  
 los sponsæ, lectuli Salomonis custodes, paraci-  
 arum rectores, Christianismi nobilitatē, Eccle-  
 siæ Senatū, Præsulum oculos, bonorum ope-  
 rum denique exempla nuncupant. Quænam illa  
 Sacerdotum magnitudo, ecquæ nobilitas, ecquæ  
 excellētia, quòd sint virtutum exempla & pro-  
 totypa, Ecclesiarum propugnacula, populorum  
 gubernata-

Sunt Ec-  
 clesiæ A-  
 postoli.



Mūdi Phi-  
losophi, gubernatores, Christianorum Principes, ani-  
marum duces?

Sacerdotes, inquam, sunt perfectionis specu-  
la, mundi Philosophi, Angelorum condiscipu-  
li, populorum ductores, animarum pædagogi,  
religionis fulcra, operarij in messem vocati &  
patroni fidelium. Noua epitheta, sed egregia &  
luculenta, quæ super & ultra regiam dignitatē  
Sacerdotum magnificentiam exaltant, & extol-  
lunt.

Cæsarius Sacerdotes caelorum filios, Dei su-  
per terram vicarios, ciuitatis æternæ ianuas,  
imitatores regni cælestis, arbores scientiæ, po-  
puli præcones, lampades accensas, soles mundi  
vitæ deniq; immortalis doctores appellat: Quis  
obsecro rex, quis princeps, quis Monarcha tali-  
bus vnquam nominibus & titulis fuit insignitus?  
Sacerdotes verè magnificos.

Aduocati  
sunt pec-  
cantium.

Quin etiã testibus S. Dionysio & S. Prospero,  
sunt Magistri scientiæ D E I, medici morbo-  
rum, improborum terror, peccantium apud  
Deum patroni, homines inter & Deum media-  
tores, milites spirituales, mysteriorum latentium  
Præsules, & certissima mundi fundamenta.  
An non itaque summi honoris est, doctorem  
esse scientiarum omnipotentis, eiusque secretis  
præsidere, eius conceptus & voluntatem inter-  
pretari, in spiritali militia imperare & ordines  
disponere, latentia mysteria eruere, ea que in  
lucem proferre, atque Atlantum instar superin-  
combentis orbis pondus ac molē sustinere? quæ  
tamea omnia in sacerdotalem dignitatem vna  
nisi omnium iudicio quadrant.

sunt Spiti-  
ritus S.  
pracula.

S. Augustinus autem serm. 36. ad Presbyteros,  
& Gregorius Magnus Sacerdotes esse aiunt spi-  
ritus



DE SACERDOT. DIGNIT. CAP. II. 18

ritus sancti oracula, os Dei, animarum parentes, Ecclesie pastores, Prophetarum filios, populi flagitiorum spongas, haeresum flagella, pravae doctrinae inimicos, controuersiarum incidentium diremptores ac iudices, rerum caelestium praecones, agminis Iesu Christi pugiles & pugnatores, & primas inuisibilium praecelliorum Phalanges. O mira ac verè stupenda! Nunquam Caesar, Hercules, Alexander, atq; omnes totius vniuersi Monarchae tot tantisque encomiorum titulis exornati fuere, imo ne Angeli quidem.

Aureum verò eloquentiae os Chrysostomus dicere non erubuit, Sacerdotes esse receptacula sapientiae spiritualis, regni caelestis clauicularios, veritatis tubicines, vitae lumina, confessionum auditores, conscientiae à secretis, caelorum commissarios, omnia ut vitia diiudicent ac discernant. Quis non igitur Sacerdotum dignitatem, cum caelorum ianitores sint, veritatis oracula, in conscientiae foro rationum disquisitores, admiretur, & prout par est suspiciat?

Sunt Commissarij caelestes.

Denique ut paucis complectar, omne Ecclesiae ornatum & splendor ipsi sunt Sacerdotes; lapides preciosi sunt in Ecclesiae fundamento collocati; sunt columnae primates & antistites in Christo fundatae, quibus vniuersa credentium multitudo innititur; nuntij sunt in Euangelio vnde quaque emissi, ut omnes mundi incolas ad caelestis principis nuptias inuitent, ipsi sunt qui clauēs caelestes manibus gestant, ut animabus paradisi ianuas referent; ipsi sunt magni domus regiae oeconomi, ad quorum directionem dispositionemque in principis aula debitū quisque locum occupat, & munus.

Prosp. lib. 2. de vit. con-temp. c. 1. Sunt oeconomi domus regiae.

CAP.